

100 ge



35  
REVERENDISSIMI AC SERENISSIMI  
PRINCIPIS ac DOMINI  
DOMINI

MAVRITII,  
DUCIS SAXONIÆ, JULIACI, CLIVIÆ  
ac MONTIUM, POSTULATI ADMINISTRATORIS  
Episcopatus Numburgici, Landgravii Thu-  
ringiæ, Marchionis Misniæ & utriusque Lu-  
satiæ, Principis in Comitatu Henneber-  
gico, Comitis Marcae ac Ravensbur-  
gi, Dynastæ Ravensteinii, Bali-  
viæq; Thuringicæ Vicarii,

*Domini ac Nutricii sui Munificentissimi*

NATALEM LÆTISSIMUM

*A.d. V. Kal. Apr. Ann. M.DC.LXXIV.*

Sexta & quingvagesima vice redeuntem  
*humillima pietate*

CELEBRATURA SCHOLA CIZENSIS

*Omnes literarum Patronos & Fautores*

*reverenter ac decenter*

*invitat*

*interprete*

M. JOH. CRAUSIO, Rectore.

---

CIZÆ,

Typis Joh. Rupert. Keil.

I. N. I.



Pud Herodotum lib. V. quem Terpsichoren vocat, Cypselus Corinthius (ita didus, quod infans in cypsela seu mensura frumentaria à matre absconditus, & presentissimo vite discrimini ereptus esset) oraculum Delphicum de sorte suâ percontatus, hoc responsum accipit:

Αὐτὸς ἔξ παιδῶν, ἔξ παιδῶν ἄλλων ἔτι παιδῶν.

i.e. uti Herodoti egregius interpres & optimus, magno tamen suo malo (vid. Corn. Tollius in appendice ad Job. Pierii Valeriani libellum de infelicitate litteratorum, pag. ult.) apologeta, Henricus Stephani, reddit:

- - clara Rex esto Corinthi  
Ipse, & eo nati: sed nulli deinde nepotes.

Versus hic exercitatissimo in re literariâ quinquertioni, Philippo Melanchthoni, ita se commendavit, ut aliquoties ipsum allegarit, cum in explicatione Theognidis pag. 109. ubi de Cypselo agit: tum lib. 2. Chronici Carionis pag. 135. ubi, nescio cujus auctoritatem secutus, Attalo Bithyniae Regi oraculum ita respondisse contendit, subjicitq;: Hic versus memoria dignus est, quia in multis familiis hoc accidit, ut  
tertius

tertius aut quartus hæres fuerit ultimus: ut Con-  
stantius, Constantinus & filii; postea alieni suc-  
cesserunt. Sic & de Othone I. dici possit. Usur-  
pari igitur solet versus iste, quando significaturi sumus,  
fortunam secundam, in honore, divitiis, potentia, ali-  
isq; id genus rebus lubricis positam, raro genti seu fa-  
milie cuiquam ita propriam esse & hereditariam, ut  
ad seros usque nepotes transmittatur; sed sæpe cum  
filiis, nepotibus ac pronepotibus ipsam stirpem, aut e-  
jus saltem claritatem interire. Nil dicam in presen-  
ti de privatis hominibus & in parendi necessitatem na-  
tis; neq; enim soli facem allucere constitui. Evolvat  
tamen, quisquis ambigit, vel solos historiae literariae  
scriptores, & quotquot suam eò contulerunt symbo-  
lam ex antiquis & recentioribus, Diogenis puta La-  
ërtii vitas Philosophorum: Melchioris Adami vitas  
Theologorum, Jctorum, Medicorum & Philoso-  
phorum: Jani Nicii Erythraei seu Victorini Roscii  
pinacothecam: Quenstedii patrias illustrium virorum;  
Spizelii templum honoris, hujusq; argumenti alia;  
deprehendet sanè, viris ob eruditionem aliave merita  
undiquaq; celeberrimis vel nullam fuisse prolem, aut  
raro cum ipsis paria fecisse. Atq; eadem de divitiis  
ferenda est sententia, cui rei quotidiana experi-  
entia fidem facit. Ipsi principes & Monarchæ illu-  
strissimi & florentissima stemmata, à quibus ma-  
gnarum

gnarum provinciarum & integrorum regnorum felicitas pendet, quorumque sortem quis meliorem arbitrari forsitan queat, quoties hanc catastrophem experiuntur? Confirmant id in sacra historia suo exemplo Iudices & Reges Israëlitarum. In historiâ autem civili, (ut missum faciam tempus incertum & fabulosum) omnes quatuor Monarchiæ idem loquuntur. Specta Regum Babyloniorum primicerium Nebucadnezarem (antiquum enim Assyriorum regnorum, à Belo vel Nino deductum, cum prima Monarchia apud Danielē nihil habere commercii monstrat Cluverus præf. Epit. hist.) Specta ex Persicis Cyrum, Darium Hystaspis, Darium Codomannū: Specta ex Grecis Alexandrum M. eiusque successores: Specta in Romanâ monarchia Imperatores & gentiles, & Græcos, & Germanicos diversarum familiarum, & facile pollicem affirmanti preme. Quin usque adeo rara est diuturna in aliquâ stirpe imperii continuatio, ut historiarum conditores illud, si quando usu venit, tanquam singulare annotent. Pomponius certe Letus, inter infelices quidē literatos Pierio recensit 9, antiquitatis tamē callentissimus, in compendio historiae Romanae p. 385. ad vitam Heraclii Imperatoris Constantinopolitani, seculo VII. florentis, addit: Soli Heraclio inter omnes principes Romanos, quantum rerum gestarum monimenta docent, stirpis suæ apud inferos sextū legere Augustum, Lachesis suo.

suo inextricabili volumine concedit. Cui gemina  
habet Job. Bapt. Egnatius Venetus l. 2. principum Ro-  
manorum p. 447. in vita Leontii. Nec olim tantum  
fabulam hanc actam fuisse credendum est; similia exem-  
pla proavorum & nostra quoque memoria animo & oculis  
objicit. Ut de exteris regnis Hispanorum, Gallorum,  
Svecorum, Polonorum, Hungarorum &c. taceam, in  
ipso imperio Romano, ubi Duces Julienses, Pomeraniae,  
Comites Hennebergici, Barbienses aliiq. Nempe,  
quod Salomo inquit Eccles. 1, 4. דור יאבר ודור יבן  
generatio praeterit, & generatio advenit.

Alba proinde gallinae filius censendus est, si quis non  
solum cum Mecenate Horatiano l. 1. Od. 1. atavis sit  
editus regibus; sed & ipse majorum dignitatem illiba-  
tam & auctam etiam possideat, possitq. superiori versui  
opponere, sibiq. accommodare illud Anii ad Anchisen  
apud Virgil. 3. Aen. 97.

Hic domus Aeneae cunctis dominabitur oris,  
Et nati natorum & qui nascentur ab illis.

Seu ut est apud Homerum Iliad. 20, 308.

Καὶ πᾶσις πᾶσις, τοῖσι μετόπισθε γένεσται.

Quo nomine merito gratulandum est cum potentissima  
domui Austriacae, quae inde usq. à Rudolpho Habs-  
burgico, qui seculo XIII. ad imperii Germanici clavum post  
diuturnum interregnum feliciter collocatus est, egregie  
floruit, & adhuc ultra duo secula serie non interrupta

A 3

Summa

summa in imperio dignitate potita est: Tum Serenissimæ domui Saxonicae, quæ inde à Witekindo strenuo illo libertatis Saxonica, tempore Caroli M. defensore, (ut superiora tempora non attingam) perpetuâ successione ad invidiam usq; floruit, & hodiernum per Dei gratiam floret. Equidem uti quondam.

Magnæ molis erat, Romanam condere gentem.

Ita plurimas difficultates, quibus impliciti saepe fuerunt heroes fortissimi, superare coacti sunt, quod vel sola Friderici admorsu sec. XIII. & XIV. Historia affatim comprobat: seculo etiam XV. tempore Friderici II. Placidi, cum Ernestus & Albertus (quibus duæ lineæ, Electoralis & Ducalis, natales suos debent) à Conrado Kauffungo plagiario ex arce Altenburgensi furtim abducerentur, res sub novacula acie versabatur: Magnâ tamen cum gloriâ inde expediverunt se, & singulis prope seculis nova ditionum & dignitatum accessio facta est. Competitque in illos, quod de Numa Pompilio apud Principem poëtarum occurrit l. VI. Æn. v. 811.

— Curibus parvis & paupere terra  
Missus in imperium magnum.

(quam sortem Mauritio, primo lineæ Albertinae Electori gloriosæ memoriæ, primo principatus anno, cum animi gratiâ sortes Virgilianæ à viris quibusdam

dam



dam eruditis colligerentur, primam & auspiciatissimam  
exiisse, refert Georgius Fabricius lib. I. rerum Alti-  
snicarum in vita Mauriti. Eandem quoq; Hadria-  
no Imperatori quondam exiisse docet Matth. Ber-  
neggerus in observationibus miscellis observ. 27. ibiq;  
plura de hac κληρονομία specie παψωδοματεια nempe seu  
σοιχουατεια sive de sortibus Homericis & Virgilianis,  
& in quantum ea probanda sint, ex Cass. Peuceri li-  
bro de divinationibus addit.) Quamquam enim secu-  
culo IX. cum Witekindus II. Witekindi I. Filius  
junior, Burggravius Sorbeci, Comes Wettini & Dy-  
nasta Butsezii constitueretur, non ita magna esset  
domus witekindea potentia, quantum ad stirpem  
wettinensem attinet; maxima enim ditionum & po-  
tentiae pars Ditgremo, fratri majori, concessa erat:  
procedente tamen tempore, singulari stemmatis hujus  
virtute & felicitate factum est, ut alia aliaque po-  
tentiae & dignitatis augmenta & ornamenta accede-  
rent, uti sunt Marchionatus Misniae sub Thimone:  
Landgraviatus Thuringiae sub Henrico Illustri: Du-  
catus & Electoratus Saxoniae sub Friderico Belli-  
coso. ( ut de comitatu Hennebergico, Lusatia utriusq;  
Marchionatu & olim possesso, & hoc seculo recupe-  
rato, aliisque nihil dicam ) Quid? quod dudum Re-  
gum & Imperatorem titulis atque insignibus conspi-  
cua poterat esse stirps ista, nisi maluisset ipsa honores  
sum-

summos modeste declinare. Wilhelmo enim III. anno  
1458. post obitum Ladislai Austriaci: Alberto ani-  
moso anno 1471. post obitum Georgii, soceri, & Jo-  
hanni Georgio ann. 1619, post mortem Matthiae,  
Regum Bohemiae, sceptrum Bohemicum oblatum est.  
Fridericus etiã gravis ann. 1347. post mortem Ludo-  
vici V. soceri; & Fridericus III. sapiens ann 1519.  
post mortem Maximiliani, Imperatores Romani desi-  
gnati sunt; quorũ tamen iste Carolo IV; hic Carolo V.  
ad dignitatem Imperatoriam adipiscendam suffragari  
maluerunt. De infulis Episcoporum & Archi-Episco-  
porum, quib. Principes hujus stemmatis saepe ornati sunt;  
de matrimoniis etiam illustrissimis, dum Principes Sa-  
xonici vel filias suas potentissimis Regib. & Principib.  
collocarunt; vel summorum Regum & Imperatorum  
filias domum duxerunt, dicere jam superse debet. Fe-  
lix porro pronuntianda est domus Saxonica non ob  
stemmatis sui duntaxat antiquitatem & potentiam;  
Sed & ob Principum, quos produxit, invidendum nu-  
merum & multitudinem. Equidem quo tempore,  
Ernestus & Albertus, de quibus supra mentio  
facta est, per plagium prope subducti fuissent, pau-  
cis capitibus stemma hoc continebatur: Hi ipsi  
tamen Principes duarum hodieque florentissimarum  
linearum progenitores fuerunt: Inprimis verò Jo-  
hannes Georgius I. Elector ἀμφοτέρων βασιλέως τ'  
ἀγαθός, κατεργός τ' ἀκμητής i. e. bonus simul Princeps &  
egre-

egregius bellator. *Iliad.* 3. v. 179. rarâ & incre-  
 dibili felicitate usus est, quippe qui vivus octoginta  
 principes filios, nepotes & pronepotes utriusq; sexus,  
 à quibus ipse pater, avus & proavus salutabatur, nu-  
 merabat: Imo si hodienum viveret, ex septem Se-  
 renissimis filiis filiabusq; septuaginta aut amplius ne-  
 potes & neptes, plurimosq; pronepotes & proneptes  
 numerare posset. Neq; verò heroës hujus stirpis otiosè  
 in utramvis aurem dormiverunt, aut inglorii vitam  
 transegerunt; sed quod Hector apud Homer. *Iliad.*  
 22, 303. de se pronunciat:

Μὴ μάλιστα γὰρ ἐκείνην ἀκλειῶς διαλοίμην,  
 Ἀλλὰ μέγα ἴσθης τι καὶ ἰσοσμένοισι πύθειν.

i. e. non certè ignaviter & ingloriè peream, sed  
 magnum faciens aliquid, etiam posteris auditu  
 dignum: Idem & ipsis animo fuit propositum.  
 Nunquam enim non omnem moverunt rudentem, ut  
 communi egregio, Ecclesieq; & Reipublicæ, cum in  
 toga, tum in sagosuis operis & vigiliis prodesse. Quid  
 igitur presterint pro religione, pro libertate & secu-  
 ritate Imperii Romani, pro suis subditis, loquantur  
 Annales, & vel sola cognomina illustra ipsis imper-  
 ita testentur; neq; enim temerè Conradum & Henri-  
 cum pios; Fridericos fortes, graves, strenuos,  
 bellicosos, placidos, sapientes; Johannem Con-  
 stantem; Johannem Fridericū magnanimum; Al-  
 bertū animosum & Rolandum, itemq; dexteram  
 B impe-

imperii, Johannem Georgium I. Constantinum M.  
Saxonicum, vocatos fuisse dixeris. Vid. Georgii  
Fabricii *Origines stirpis Saxonicae* lib. 5, 6, 7. Eliae  
Reufneri *Stemma Wittikindeum*, Matth. Dresseri  
*Isag. hist. part. 4. Laur. Fausti genealog. Saxon.*  
*Aug. Buchneri orat. panegy. 5. Ab avitis istis vir-*  
*tutibus ne latum quidem ungvem recesserunt heroës*  
*Saxonici, hodiernum per Dei gratiam superstites, in-*  
*primis Reverendissimus & Serenissimus Princeps ac*  
*Dominus Dn. MAURITIUS, Dux Saxoniae &c. &c.*  
*Pater patriæ indulgentissimus, & Nutricius noster*  
*munificentissimus, qui propensissimum animum & ve-*  
*rè paternam erga Ecclesiam, Scholam & Rempubl.*  
*curam dudum egregio & memorabili prodidit symbolo:*  
*PRO DEO ET MEO. (vid. Biblia Witteberg: ann.*  
*1664. edita, & Reverendissime ejus Serenitati nun-*  
*cupata.) Nec magnificentius hæc jactantur,*  
*quàm verius, uti de Dario Codomanno quondam,*  
*pronunciavit elegantissimus historicorum Curtius.*  
*lib. 3. c. 8. Sed dictum factum! In vulgus enim nota est*  
*singularis clementia, atq; incomparabilia merita, qui-*  
*bis Optimus Princeps Ecclesias & Scholas in hoc Epi-*  
*scopatu & ditionibus sibi subiectis, earumq; ministros,*  
*imò omnes omnino subditos, contra seculi senescentis*  
*consuetudinem, clementissimè adhuc sibi devinxit,*  
*& etiamnum devincit.*

*Ejus natalis auspiciatissimus d. 5. Kal. Apr. sextâ &*  
*quin-*

quingvagesimâ vice redibit. Quod verò de natali  
Mæcenatis habet Flaccus l. 4. od. 11.

Jure solennis mihi sanctiorque  
Penè natali proprio: quod ex hac  
Luce Mæcenas meus affluentes

Ordinat annos.

Id in natalem Serenissimi Principis rectissime competit,  
qui jure solennis nobis sanctiorq; natali proprio; Quod  
à felicitate Principis omnium subditorum felicitas  
pendeat. Quandoquidem igitur eò die & aula Sere-  
nissima, & universa urbs letitiam & observantiam  
suam voce, vultu & quacunq; potest ratione aliâ te-  
statur: Id propter nec schola nostra pietatis & parti-  
um suarum dememinisse debet, maxime cum Eminen-  
tissimo Hagiosynedrio, cujus nutus nobis pro imperio  
est, institutum nostrum non improbetur. Celebrabit  
proinde & ipsa Reverendis. Principis natalem ex-  
ptatissimum, minori quidem, ac alii, apparatu & splen-  
dere; non minori tamen pietate & devotione. Igitur  
primū M. Joh. Crausius, Rector, de summis Serenis.  
Electorum & Ducum Saxonie, & separatim Reve-  
verendis. MAURITII in Ecclesiam, Scholas & Rem-  
publ. meritis, & vigiliis pro DEO & suo, occasione ex  
Reverendis. ejus Serenitatis simbolo petita, Latine  
orabit: hinc serenissimo Principi & universis ejus sub-  
ditis de expectatissimo natalis hujus reditu humillime  
gratulabitur, & ut sæpissime hoc gaudio perfrui liceat,  
Deum

Deum venerabitur. Deinde M. Christianus Röber/  
Con-R. Carmen Graecum Heroicum recitabit, asser-  
turus eò, rectè atq; ordine facere Christianos, cum suos,  
tum suorum Principem natalem celebrantes; illudq;  
pariter gratulatione & devotis precibus finiet. Postea  
superiores quidam scholæ nostræ alumni diversis di-  
versarum linguarum & generum carminibus pia vota  
concupient, nempe

Adamus Jampert, *Mutschâ Misn. syriaco.*

Zacharias Hase/Tautenb. Osterl. *Hebraico.*

Joh. Georgius Zeidler/Ciz. *Græco Anacreontico.*

Maurit. Frid. à Körbitz/Equ. *Misn. Latino sapphico.*

Balth. Rudolphus à Sichtenhain/Equ. *Misn.  
Germanico.*


Ceterum (ut Ciceronis verba l. 13. ep. 6. mea faciam) hu-  
jus diei solemnitati nostroq; officio vix videmur nobis  
satisfacere posse, si utamur verbis iis, quibus,  
cùm diligentissimè quid agimus, uti solemus;  
nova quædam postulat, & novi generis artifici-  
um quoddam, atq; ex intimâ arte depromptum  
mirificum genus orationis. Id quando assequi  
non possumus, vos Patroni Musarum nostrarum  
eminentissimi, & Fautores honoratissimi, quæso,  
efficiatis, ut diei suus honor ex debito constet. Id fa-  
cietis, si illustri & honorificâ vestrâ presentia pietati  
& subjectissimæ devotioni nostræ adiutores eritis. Atq;  
hoc ipsum vehementer etiam atq; etiam Vos rogamus.  
Cizæ a. d. VI. Kal. Apr. M. DC. LXXIV.


Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several paragraphs and is mirrored across the page.











AB: 155735 (1)


ULB Halle 3  
003 023 915




80

155735







35

AC SERENISSIMI  
ac DOMINI  
INI

ITII,  
JULIACI, CLIVIAE  
ATI ADMINISTRATORIS  
ici, Landgravii Thu-  
isniae & utriusque Lu-  
omitatu Henneber-  
ca ac Ravensbur-  
vensteinii, Bali-  
gica Vicarii,  
ui Munificentissimi  
ETISSIMUM  
i. M.DC.LXXIV.

na vice redeuntem  
pietate

HOLA CIZENSIS  
tronos & Fautores  
c decenter

cat  
rete  
ISIO, Rectore.

Æ,  
upert. Keil.

